…bertus

Podżyński Valent. Joan. Cant. Justus dolor Ecclesiam et Academiam ex nunquam satis deplorando obitu – perstringens. –

JUSTUS DOLOR
Ecclesiam & Academiam,
Ex nunquam satîs deplorando obitu
PERILLUSTRIS olim & REVERENDISSIMI
DOMINI
D. M. ADALBERTI
GRZYMAŁA,
Sacræ Theologiæ Doctoris & Professoris, ejusdemq; Facultatis intereà DECANI, Collegæ Majoris, Ejusdemq; Collegii ac totius Universitatis SENIORIS PATRIS, Ecclesiarum; Cathedralis Cracoviensis CANONICI, Collegiatæ SS. OO. Cracoviæ PRÆPOSITI, Contubernii Hierosolymitani PROVISORIS.
Viri utrinq; optimè meriti,
Annorum & virtutum plenissimi,
PERSTRINGENS.
ac dum ei
In Ecclesia Collegiata Sanctæ ANNÆ Crac.
Posthumum mæroris publici persolveretur obsequium.
lugubri calamô
M. VALENTINI JOANNIS CANTII
PODZYNSKI,
Philosophiæ Doctoris, Ejusdemq; ac in Classibus Novodvorscianis Pöéseos Professoris, Contubernii Hierosolymitani SENIORIS.
In vim æternæ gratitudinis & ultimi obsequii
EXPRESSUS.
Annô quô
Mors DeCorat CLaros, eX post est VIta perennIs.
Die 29. Maji.

MDCCLXVII

CRACOVIÆ
In Typographia Seminarii Academico - Diæcesani.

Mors terribilis est iis, quorum cum vita omnia extingvuntur: Non, quorum laus emori non potest. Cicero.

Tota vitâ discendum est mori. Et nullius rei difficilior est scientia, quàm vivere. Seneca.

Sicut mali nascuntur, ut moriantur, sic boni moriuntur, ut vivant. Vir bonus, etiamsi moriatur, vivit, vir malus, etiamsi vivat, moritur. Gvevarr.



PERILLUSTRI & REVENDISSIMO DOMINO

D. ANDREÆ

de Postawice

ANKWICZ,

In Alma Universitate Cracoviensi Juris Utriusq; DOCTORI, Ecclesiæ Cathedralis Cracoviensis CANONICO in Szczucin & Mielec Præposito &c.

Perillustri Clarmo & Adm. Reverendo Domino

D. M. MICHAELI CZYRNICKI,

In Alma Universitate Cracoviensi Sacræ Theologiæ Doctori & Professori, Collegæ Majori, Insignis Ecclesiæ Collegiatæ S. Floriani Custodi, in Opatowiec Præposito, & Pobiedr Curato, &c.

Ultimæ voluntatis piè defuncti,

EXECUTORIBUS INTEGERRIMIS.



Quem luctuoso nuper ex obitu meritissimi de Re Literaria Patris concepistis dolorem, eundem Vobis fidissimis ultimæ hujusce Viri voluntatis Præstitibus æstimatissimo olim parentans Provisori, opere præsenti vitam Ejus merita & virtutes continente, in lenimen mœroris offero. Perillustres, Reverendissime Dñe, Clarissime ac Admodùm Reverende Domine, MECÆNATES AMPLISSIMI. *Quum enimvero dignum laude Virum Musa mori non permittat, Isthic profectò quametsi vivere jamjam desierat demortuus, quem in pectore Vestrûm fovetis, etiam post fata vivus atq; superstes fore nusquam desinet. Non dubito Eum etsi sæva morte*

te terris ereptum paratum apud Vos habere locum, cui superstiti amantissima Vestra corda & mentis sincerae candorem pridem obtulistis, neq; verò eapropter id facio praesentes lugubres Vobis consecrans characteres, ut acerbissimum dolorem tantò acrius exacerbem, at ut secuturae posteritati constet, quôquô modô Eum dilexeritis, quàmve Vobis gratus, atq; peramandus extiterit. Novi bellè quo prosequebamini solidam Ejus eruditionem, nominis & gloriae decus illibatum, amore, quò certe meruit etiam post fata aestimari, legendus venturis saeculis tradi. Vivet vivet Ille in praesenti animo & amantissimis cordibus Vestris, qui immortalî vitâ vel ideo dignus erat, quòd in dimidium animae suae ejusmodi Vos Viros elegerit, quos celsitudo Sapientiae, ac dotes virtutum Superis ipsis Amicos reddunt. Atq; jam praesentem beneficentissimis Vestrum dum lito manibus operam, atrum maerorem hunc, quem ex tristibus Viri Vobis Amici fatis praefertis, albô Caelum rependat calculô ad honorum culmina & vitae longioris faustitatem. Ita precatur:

Perillustrium, Reverendissimae, Clarimae & Adm Rdae, Dominationum Vestrarum, Mecaenatum Gratissimorū

humillimus & obsequentissimus Servus.

A. O.

Funeſtos mortis caſus
quòd in deceſſu ferè quotidiano, imperitæ experimur plebis
quòd alios in ipſo vitæ apparatu
alios in ſenectute vita deſtitui, cernimus,
quòd cæcam mortem inter juventam & ſenium,
minimè diſcernere animadvertimus,

non ita dolendum.

Perſpectam enim omnes habemus moriendi legem.
Nam quisquis ad vitam editur, ad mortem deſtinatur.

Parcæ nemini unquam parcunt.

Communi illæ omnes æquant lege,
Potentes viribûs, robore languidos,
Eruditos, & minimè cultos,
audaces & timidos eidem includunt urnæ.

Nemo eſt mane, qui fuit pridie.
Corpora noſtra rapiuntur fluminum more,
quidquid vides currit cum tempore,
nihil ex his quæ videmus manet.

Finis igitur vitæ omnium eſt unus, non tamen dolor.
Aliorum quippe memoria perennat,
aliorum vita oblivioni traditur.

Hinc eſt,

quòd eorum ſæpè ſæpius obliviſcamur,
qui Eccleſiæ, & Patriæ,
bono communi, & caræ poſteritati,
nihil unquam feciſſe ſunt viſi,
Eos verò qui ſibi ſatis,
gloriæ autem & deſideriis Civium haud ſatis vixerunt,
Juſto proſequimur dolore.

Non hìc effingimus more eorum triſtitiam,
qui juxta Epictetum dolent, & exultant,
plorant, & lætantur plurimùm.

In luctu hilares,

ubi gaudiorum datur materies, luctuosi:
Dum dolent, ſe ſe fingunt Democritos,
dum gaudent, Heraclitos mentiuntur.
Aliud geſtu, aliud vultu explicant,
aliud mente gerunt, & animô cogitant.
Plorant Parentum ſuorum fata filii,
at de Patrimonio relicto gaudent.
Quos labor nutrit, dolent ſuper occaſum Solis,
læti, quos ſomnus.
Plerumq; tranquillitas eſt in animo,
& tempeſtas in oculis,
vultus ridet, at cor doloris procellâ obruitur.
Alia nobis luctuûm materies & ratio,
Alius ſuper Viris virtutibûs ac meritîs claris planctus,
aliàs juſtus habendus dolor.
Commune quidem omnibus fatum vivere;
non támen ex omnium obitu juſtus dolor.

quippe:

dolemus alios naturali compulſi affectu, utì Cognatos;
alios vî gratitudinis adſtricti, utì Benefactores;
alios vinculô amoris pertracti, utì Amicos,
ſed eos duntaxat;
quorum tota in rectègeſtis vita conſtiterit,
dolemus juſtiſſimè.

Id

Id genus dolorem,

meruit de Ecclesia & Academia,
Superum favore, ac virtute propria,
Perillustris olim, & Reverendissimus Dominus,

D. M. ADALBERTUS GRZYMAŁA,

Sacræ Theologiæ Doctor & Professor,
ejusdemq; Facultatis intereà
DECANUS,
Collega Major, Ejusdemq; Collegii ac totius Universitatis
SENIOR PATER,
Ecclesiarum Cathedralis Cracoviensis
CANONICUS,
Collegiatæ SS. OO. Cracoviæ
PRÆPOSITUS,
Contubernii Hierosolymitani PROVISOR.
Qui non sibi, sed bono publico natus,
non sua, sed Ecclesiæ Mystes pientissimus,

ACADEMIÆ
Pater Amantissimus,
CLIENTUM
Protector Amplissimus,
Commoda quærens, ita vixit;
Ut nunquam eum vivere poeniteret,
ita Ecclesiæ & Academiæ
totam suam vitam consecravit,
ut justo semper eum prosequerentur dolore.

Sanguine, ingeniô, prudentiâ, virtute,
celſus, ſublimis, magnus, maximus.

Enimverò
Vir hic vera virtutum norma,
Vivum Sapientiæ ſimulacrum,
æquè boni, æquè honeſti amans,
in quo habebant inferiores quod colerent,
pares quod amarent,
ſuperiores quod laudarent,
univerſi quod mirarentur.
Primam ætatem non ludicris,
ſed ludis Scholaſticis impendit,
Pueritiam non jocis, ſed pietati devovit;
bene gnarus,
alterum ſinè altero eſſe haud poſſe.
Non decet miniſtras Jovis Aquilas,
noctuarum conſortio conjungi,
A tenero ſtatim ungue Leo proditur.
Ita virtus ad ſublimia nata, humilia neſcit.
Cæpit ille ubi aliis finis erat,
& ubi ſatis gloriæ putabant exiſtere:
Ille prima pietatis & ſcientiæ veſtigia poſuit.
Teneram proin ætatem excolendam
Muſis Academicis præbuit,
à quibus virtutem & eruditionem edoctus,
intra Gentilitiam Portam latere noluit,
unde animus moræ impatiens, erupit extra portam,
Ideſt
Gemma extra conchylium ad Doctoralem Coronam,
fortuna Familiæ, ad Jagellonicum manipulum
Dives virtutum gaza, ad Almam Matrem.
Ea-

Eàtenus
Laureæ Philoſophicæ ingeſſerunt ſe ultro ejusCapiti,
Ut cum eo gloria ipſarū ſit, non cuilibet vertici inſediſſe,
& ornarentur ipſæ, & ornarent.
Succeſſère vota.
Acceſſit Laureis honor,
quòd tam eruditum verticem obſederint;
acceſſit capiti,
quòd quæ ſummos vertices ornant Laureæ,
in eo conſederint.
Et quanquam
Laurea aliis à laborum æſtu umbra eſt;
Ille ab otio ſemotus,
à ſecordia alienus,
quietis planè ignarus.
Vixit ſub Laurea operoſus.
Nam ut ſanguis viſus, ad iram Elephantem
Milthiadis Trophæa, ad generoſos actus Themiſtoclem,
ſic Laurea eum ad agenda fortia provocavit.
Non igitur ſub lauru dormiit,
Sed in Academiam Lubranſcianam deſtinatus Profeſſor,
in Illuſtriſſimum Poſnanienſe Capitulum obſequia,
in Juventutem eruditionem,
in Cives omnes profudit affectus.
Cos acuendis ingeniis,
exercendis ſpeculum,
imitaturis vix imitandum exemplar datus.
Nobilì ingeniò corda Magnatum vicit,
vota Sapientum in ſe traxit,
ipſam Lubranſcianam *Pinum*,

ut illi triumphi obeliscus esset,
ad suos flexit nutus.
Et non immeritò:
Alma enim Mater Universitas;
Reducem non sinè vani ominis augurio cohonestavit,
Compensavit Ejus labores & merita,
ascensu ad minus Collegium Artistarum,
ubi Philosophiæ cursum ad mentem Aristotelis
docuit eruditè, & fideliter.
Veterum Philosophorum errores refutavit solidè,
Novatorum elisit & elusit fortiter.
Decanum in eodem Collegio ita quoq; gessit,
ut ornamento Academiæ,
plurimorum studiis commodo,
gratus, acceptusq; suis,
& Majoribus extiterit.
Assumptus ad Domum Majorem
non modò Aristotelem iterum interpretatus est doctè,
verùm etiam Princeps Artistarum evaserat.
Sanguineo sudore allexit purpuram,
ut gestaret,
gemmeo tinxit, ut ornaret.
Paucìs pòst annìs Cathedrã Theologicã ascendit,
& ut in naturalibus scientiis Aristotelem professus,
Sic in supernaturali à doctrina *Divi Thomæ* secessit minimè,
in docendo planus,
in arguendo subtilis,
in solvendo promptus,
in explicando facilis.
Sacrarum scientiarum Professor,
evolvit, quod in summa Theologiæ reconditum,
enucleavit, quod difficile,
explicavit, quod nodosum,
aliàs
Cursum Theologicum Speculativum,

Sa-

Sacramentalem, & Moralem,
ſummo auditorum profectu extradidit.
Myſtes Optimus
bonorum Paſtorum forma,
Exemplar Cleri & idea
ut intaminatè vixit;
ſic Eccleſias Zielonecenſem & Vetero-Korczynenſem
rexit prudentiſſimè.
in ornamentum ſuarum ſponſarum effuſus,
in commoda liberalis,
in uſus prodigus.
Erga oves affectu propenſus,
quod proprium Paſtorum eſt, effecit feliciùs,
ut oves propriæ Paſtoris vocem audirent,
eas pabulô Verbi Divini pavit uberrimè,
bonis præerat, & præibat exemplô,
errabundas cohortatione ad Chriſti reducebat ovile.
Erga ſubditos benevolentiâ plenus,
utpote qui ſibi dominari ſciverat.
Licèt honore ſublimis, ac Genere clarus,
ſimilem tamen ſe ſemper præbuit hominem.
Erga omnes affabilitate conſpicuus,
ad omnem bonitatem à natura compoſitus.
Acer tamen in vitia,
ut illa ipſe abhorruerit,
ſic ab eis non unum deterruit.
Sacrum Oratorem ita egit;
ut verbô Domini uteretur pro gladio,
ſcelera plecteret, ut ad virtutem inflecteret,
aſpera ſemper ſuaviter locutus,
vehementia leniſſimè.
Idcirco Doctoralis illi in Theologia creſcebat Laurea,
pro qua ut pro Troja Hector,
plurimîs annîs in Cathedra Profeſſor decertabat,
ut eum ſinè ceruſſa commendabilem,

sinè ostentatióne celeberrimum,
sinè stimulo operosissimum fuisse
nemo prorsus dubitaverit.

DOCTOR

in Sacra renunciatus Theologia,
Scientiâ supremâ non inflatus
gradu, quantumvis in Literis supremo, non elatus,
meritis licèt grandibûs, non turgidus.

Non, ut coaxantes ranæ vivunt, vixit.
non, ut folles ventô rapti, tumuit,
non, ut attollunt se inanes aristæ, se extulit.

Quamvis maximos ingeniô æquaverit,
attamen palmô se semper mensus est.
Eminendi cupiditatis nunquam avidus
honorem Theologicum ita præsetulisse visus est,
ut Majestas & virtus in eo, consedisse viderentur.

nempe:

firmatô ad omnia animô didicit:
pulchriùs exemplô morum eminere, quàm fascibûs,
ingentî animô esse posse, absq; ingentibus fastigiis.
Plerumq; enim inferiorem sese monstrat,
quicunq; enim avidiùs apperit purpuram,
abnegatio honoris potissimum magnitudinis argumentum.

Et quamvis

Viros Corônis & fascibus pares
Laurea Doctorali Theologica exornaverit, Decanus.
SOKOŁOVIUM Cujaviensem Canonicum,
KRZĄNOVIUM Virum omnibûs numerîs absolutum
STĘPLOVIUM multoties Univ: Rectore amplissimū.
Jurium Academicorum vindicem accerrimum,
CZYRNICCIUM omni Scientiarū humanitatisq; genere
satis superq; conspicuum,
quem etiam intimîs complexus amoribûs
ultimæ voluntatis Executorem integerrimum habere voluit.
BIEGACZEVICIUM cujꝰ olim in rebꝰ agendis dexteri-
(tas) non

non tantùm Principibus,
ſed etiam ipſi Coronato Capiti;
luculenter nota apparuit.
Sthoccium antiquæ Obſervantiæ Carmelitarum
Conventûs adpræſens Arenenſis Priorem Digniſſimum,
verum vitæ religioſæ exemplar.

Alioſq; perplures,
Eis tamen honore præeſſe noluit.
Tutiùs parere, quàm imperare eligens,
non caſum in ſublimi timens,
ſed videri recuſans,
Aurum quippe in terræ viſceribus,
in abditis rupium adamas,
gemma in concha latet.

Licèt verò
honorem fugeret ſummopere,
qui tamen ei debebatur juſtiſſimè
neſcivit tamen diu deliteſcere in occulto.

Et hinc eſt:
quòd non tantùm,
Inferioribus, Paribus, Majoribus,
venerationi, amori, æſtimationi,
verùm etiam primis, Principibuſq; Viris
honori delicioq; fuerit.
Mirabantur ſublimem illius eruditionem
Infulata, Infulandaq; capita,
& omni, qua par erat, eum proſequebantur amore.
Candorem, integritatem, ſinceritatem,
Vitæ morum, factorumq; gravitatem,
ſatìs æſtimaverat
Eminentiſſimus olim à *Lipe* LIPSKI,
S. R. E. Presbyter Cardinalis,
& Cracovienſis Epiſcopus, Dux Severiæ &c.
cujus cordi complacuit ita,
ut ſola nonniſi morte avelli poſſet.

C Fe-

Ferebatur in ejus amorē non minori corde & pectore,
Celsissimus olim ANDREAS *in Załuskie* ZAŁUSKI,
Episcopus Cracoviensis, Dux Severiæ &c.
Ut mirari deberes, an jurare posses,
vel horum Principum corda conspirâsse in unum,
vel ejus cor unum, cor utriusq; fuisse.
Hinc virtute sua promovente,
concordibûs Patrum suffragantibûs votîs,
aspirante Principis Celsissimi ZAŁUSCII favore,
in peraugustum Canonicorum Cathedralium
Cracoviensis Ecclesiæ cooptatus & adscriptus Cætum.
Honorem hunc non prehendit violenter,
sed humiliter, licèt sibi debitum, suscepit.
Ornatus Canonicalî distinctoriô,
à communi cætu distingui noluit.
In sublimi coronatoq; Vavelli vertice positus,
humilitate nisi conspicuus esse curavit.
& quantò se superiorem sciebat,
tantò se gerebat submissiùs,
elevatus, nunquam elatus visus.
Collegiatæ SS. OO. Præpositus,
nulli scivit præponi,
imò subjici omnibus gloriosissimum putavit.
Pedum gravissimô morbô pressus,
Viam recti honestiq; non excessit:
imò honore Doctorali sublimis,
sui verò æstimatione humillimus,
Doctoralem nunquam recusavit conscendere Cathedrã
Pulchrum & decorum æstimans
Virum strenuum Martis in acie mortem subire,
Doctorem in Cathedra.
In lenimen doloris, quô premebatur,
Origenis in Jobum Commentarios, continuò versabat,
vel alienæ fortitudinis documentum sibi exemplo fore,
vel resignationis in voluntatem Dei merito habere cupiens.
Reliqua decora utcunq; dediceris;
patientia nonnisi per exempla instillatur.
Spartana virtus discitur non aliter.
Non enim est illius felix navigium,
qui contra torrentem nititur.

Ina-

Inaniter victoriam sperat,
qui fortibus resistit.
difficilè ad metam pervenit,
qui ventîs reluctantibûs incedit.

aliàs

Infelix ille, qui Dei voluntati morem gerere recusat.
Seniô fractus,
nihil de laboribus imminuit,
clarô vel in se ostendens exemplô,
nullis virtutem succumbere casibus.
Mortalitatis ad extremùm non immemor,
nec vivere recusans, nec mori timens,
vivus adhuc testamentum fecit;
percepit Sapientiam, si quis tam securè moritur, quàm nascitur.
Nec alium ex vita ductorem nactus,
quàm JESUM, & hunc Crucifixum,
in Cujus piis osculis totus,
Annô ætatis suæ LXX. XI. Kalendas Junii
vivere desiit.
Virum Academicum LI.
Doctorem in Sacra Theologia XIX.
Canonicum Cathedralem Cracov: annîs IX. egit.
Academiam semper doctîs,
Ecclesiam sacrîs operibûs cumulavit.
Utriusq; gloriam auxit meritîs vivus,
Utriusq; dolores provocat extinctus.

Meritò igitur

Ecclesiam & Academiam justus perstringit dolor,
multa ille tulit, sudavit & alsit:
multam meritorum jecit segetem,
multùm gratitudinis promeruit fructum.
Æquè lugent Doctorem Cathedræ,
æquè deplorant sacrum Oratorem Exedræ,
squallent mærore, quas ornavit, *Aræ*;
suum deflent Sponsum Ecclesiæ,
lamentatur super obitu Senioris Patris
Alma Universitas,

Contubernium Hierosolymitanũ ad meliorẽ redactũ statũ
Optimum lacrymatur Provisorem.
Porrò omnibus,
quibus in vita fuit solatio,
Justam doloris mensuram relinquit.
Nec tu partem doloris ejusmodi effugis,
quinimò testaris defuncto,
quod testabaris vivo.

ILLUSTRISSIME & REVERENDISSIME DOMINE
Dñe FRANCISCE
de Potkana
POTKANSKI,
Præsul Patarensis,
Cracoviensis Officialis Generalis & Suffraganee,
quo eum in vita dilexisti pectore,
eodem ex oculis nostris sublatum, prosequeris,
dum animam ejus incruento Sacrificio
Deo Ter Optimo Maximo,
Sæculorum Regi immortali,
perardenter commendas.
Hic ultimus idemq; summus extincto præstitus favor,
in Patrum & filiorum totius Universitatis,
haud unquam extinguetur cordibus.
Habuit vos primo cordis delicio,
habetis eum vicissim cordolio non mediocri

Perillustris & Reverendissime Domine
D. ANDREA
de Postawice
ANKWICZ,
Juris Utriusq; Doctor,
Canonice Cathedralis Cracoviensis,
in Szczucin & Mielec Præposite. &c.

Per-

Perillustris Clarissime & Admodùm Rñde Dñe.

D. M. MICHAEL CZYRNICKI,

Sacræ Theologiæ Dr. & Prfr. Insignis Ecclesiæ Collegiatæ S. Floriani Clepardiæ ad Cracoviam Custos, in Opatowiec Præposite & Pobiedr Curate.

Perillustris & Admodum Reverende Domine

D. VALENTINE KOBIERSKI,

Notarie Apostolice, Consistorii Foranei Becensis, in Bączania Curate.

Ultimæ voluntatis ejus Executores mæstissimi.
Magni ille fecit vestrum candorem vivus,
dilexit animorum rectitudinem superstes:
& vos quantò dilexistis vivum,
tantò certè ferimini in amissum.
Imò magnus hic Academiæ Pater,
sicut vivus habuit amorem,
ita defunctus in cordibus omnium habeat
& perennem gratitudinem,
&
Justum dolorem.



 COL-

COLLOQUIUM

inter Ecclesiam & Academiam
super Obitu
PERILLUSTRIS olim & REVERENDISSIMI
DOMINI,

D. M. ADALBERTI GRZYMAŁA,

Sacræ Theologiæ Doctoris & Professoris, ejusdemq; Facultatis interea DECANI, Collegæ Majoris, Ejusdemq; Collegii ac totius Universitatis SENIORIS PATRIS, Ecclesiarum; Cathedralis Cracoviensis CANONICI, Collegiatæ SS. OO. Cracoviæ PRÆPOSITI, Contubernii Hierosolymitani PROVISORIS.

Acad: Cur tristem vultum præfers? quæ causa doloris?
Quæ Consolatrix tristibus esse soles.
Eccl. Ah cur non doleam, possimq; dolore carere,
Amissô Sponsô dum viduata gemo.
Ac. Ecquis erat Sponsus sic dilectissimus? à quo
Diffluis à lacrymis, Sponsa relicta gemens.
Ecc. Sponsus erat, lectus totis è millibus unus,
Quem mors è vivis invidiosa tulit.
Ac. Ah rem crudelem! sed quis fuit illemet? & quo
Distinctus titulo? quis fuit ejus honos?
Ecc. Tanquam nescires, studiosè quæris; & ille
Non mea, sed pariter pars tua magna fuit.
Ac. Hiccine? qui nuper subiit fatale sepulchrum?
Quem meus Ordo nimìs, luxerat atque tuus?
Ecc. Hic est mæroris mihi maxima causa profectò,
Quem lugere satìs cogit & ipse dolor.
Ac. Ah! ah! me potiùs dolor hic premit, atq; fatigat,
Causa mihi major (crede) doloris adest.

Major

Ecc. Major causa mihi: nam Sponsus quãdo recessit,
Sponsa relicta gemens, tristia fata cano.
Ac. Ast ego plùs doleo, nam plures perditi in uno,
Patronus, Doctor, propitiusq; Pater.
Ecc. Et mihi sic plures: Sponsus quia non mihi solùm,
Tutor erat viduis, pauperibusq; Pater.
Ac. Sed mihi mors ejus sit maxima causa ruinæ,
Namq; meæ fuerat firma Columna Domus.
Ecc. Est mihi quid timeam, grex ne sit præda luporũ,
Is quia prudenter rexit ovile meum.
Ac. Ast ego desolata, Patris post funera, vitam
Non vitam reputans, orphana nata fleo.
Ecc. Et mihi nunc vitæ pars non postrema minuta,
Dum Sponsus moritur, dimidiumq; mei.
Ac. Squallida progredior tetro vestita colore,
Dum cecidit capitis pulchra corona mei.
Ecc. Sic & ego squallens lugubres occino cantus,
Nam fuit hicmet honos, atq; corona mea.
Ac. Hinc (ùt jam video) dolor idem vexat utramq;
Quo tu pressa manes, hoc perimente premor.
Ecc. Est eadem ratio luctûs, eademq; doloris.
Quando par ratio; par quoq; mæror erit.
Ac. Ambæ quid tandem præstare valebimus illi?
Utraq; quem gessit sic in amore suo?
Ecc. Non ego desistam suspiria mittere Cœlo,
Ut sit ei requies in Regione Poli,
Ac. Ast ego transcribam fastis durantibus acta,
Ut semper vigeat fama perennis ei.





